



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Morbi coniugibus an noceant?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

3. Morbi quidem nullis sunt, quàm coniugibus, importuniores, quia vno semper morbo ægrotant duo; & dolente viro vxor amans dolet, vxoreque malè affecta, afficitur malè etiam amans maritus. At quis coniuges à morbis eximios iudicet esse oportere? omne coniugium est inter mortales; & quia morti, ideò & morbis subiectos. Qui immortales erunt, in cælo, *neq; nubent, neq; nubentur*. Ibi enim neminem nasci necesse est, vbi nemo moritur. In terris vt alij possint succedere, debent decedere alij: vt decedant, ægrotant. Hæc est mortalium natura. Sed & idcirco morbi coniugibus profunt, quia non solum præbent occasionem exercendæ patientiæ atque charitatis, sed etiam detegunt mutuum eorum amorem. Non potest enim latere amantis cura & sollicitudo, & dolor, affectusque dicentis:

*Mortem ego non fugiam morte subire tua.*

Nam & qui magis amat, magis succurrit, magis vigilat, magis pro ægrotante laborat: & qui videt magis sibi succurri, amorem magis agnoscit, amoreque accenditur, sanitatiq; redditus, vices reddit, memor exempli, curæque sibi impensa. Hos ergo tales morbi non disiungunt; immo coniungunt magis.

4. Multi, matrimonijs pleno consensu contractis, optarent & sani & ægroti vnà manere, sed coguntur sese deserere, vel inuiti, itidem vtique sua culpa; cure enim inconsultò matrimonia contraxerunt? cur ausi sunt velle colligari, cum quibus colligari non potuerunt? Nam sicut ferrum misceri non potest testa, ita quidam ad coniugium inidonei sunt, ob impedimenta partim diuinarum, partim humanarum legum autoritate, opposita. Quemadmodum enim summus Mundi Gubernator res naturales, per causas naturales perficit; sic humanos quoque contractus dirigit humanarum legum autoritate. Itaque non tantum à natura & Dei institutione, in SS. litteris nonnulli ad matrimonium inhabiles declarantur; sed etiam vtriusque Reip. Christianæ magistratibus Deus dedit potestatem populos in pace regendi, ad quam potestatem pertinet, vt per matrimonia huius pacis & tranquillitatis propagatio & salus non impediatur. Cùm itaque forma essentialis Matrimonij sit

Zzz 3

mutuus

III.

Marc. 12. 25.

Dan. 2. 43.

Canon. 2. 27.  
q. 2.